



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

9. Ac novissimè Ludovici de Molines sub Innocentio XI. Moderno PP.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Petri communionem & auctoritatem suffulta, qua in Decretali epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque deinde Zozimi altera ad Universos Orbis Episcopos subsecuta est, Pelagiana heresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Per speculum enim habebat, non solum ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematis adversus Apollinarem & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulo ante jactis, judicium pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis sententiam ponant, sive omittant) Divinam aequè ac summam per Universam Ecclesiam auctoritatem nisi, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium prestare tenentur. Eam nos quoque sententiam ac fide imbuti, Romana Ecclesia presentem, qua in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debitam observantiam colentes Constitutionem Divini Nominis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam, &c. Hæc planè tam manifesta est Pontificiæ Infallibilitatis confessio, ut dici, imò nec optari efficacius possit: num Galli tunc temporis scripturas ignorabant? num eos, quid Concilia, quid Patres docuissent, quidve Gallicana Ecclesia sentiret, latebat? Quæ est ergo Galliæ Antistitum tam repentina mutatio, ut quod nuper sub uno Innocentio tam clarè assererant, nunc sub altero Innocentio tam enixè repudient?

IX. Denique Anno MDCLXXXVII. Innocentius XI. Pontifex morum sanctitate, rerum caducarum contemptu, disciplinæ Ecclesiasticæ Zelo, propagandæ Catholicæ Religionis ardentissimo studio, animi magnitudine, etiam Regibus formidandam, præclarissimis contra Turcas victorijs, quas immensam auri profusione & sanctissimis apud Principes consilijs, & continuis lachrimis à Deo impetravit; Pontifex inquam, rerum gestarum, & animi magnitudine, antiquis illis Pontificibus Leoni, Nicolao, Gregorio, hæreticorum etiam confessione, planè similis, & cui parem, à multis retrò sæculis haud invenies; is, inquam, tantus Pontifex post accuratissimam, totòque biennio productam discussionem, Ludovici Molines Hæresiarchæ perniciosissimos juxta sædissimòsque errores die 28. Augusti extra Concilium Oecumenicum solâ Apostolicâ auctoritate damnavit. Fuit Ludovicus Molines natione Hispanus Arragonensis, Doctoris & Sacerdotis dignitate insignis, tantæque doctrinæ & pietatis, quam accuratissime simulabat,

opinionem apud plerumque commendatus; ut dirigendis Primatum; ac præsertim nobilium Matronarum conscientijs passim adhiberetur; hinc illi laxandis pascendisque carnis cupiditatibus prona occasio: primò amor, tum error: inter thalamos & amplexus Contemplativam, mysticamque Theologiam docebat; eodemque momento adulterum agebat, Doctoremque: sed hæc intra Cubile, Virginumque aut etiam nuptiarum Academias: foris Angelo similis, & ecstases spiranti: crederes Paulum in tertium Cælum altè sublatum: quotidianum sacrificium, lacrymarum perenne stillicidium, cum ad aram staret: nullæ voces, quàm *de Oratione, sensuum morte, Unione ac quiete cum DEO.* Hinc tam multos etiam infultos, purpuratosque infecit, dulci videlicet occultoque veneno; sed istis cognitâ fraude pœnitentia primùm, tum remedia succèsere. Duos & viginti annos nunquam conscientiam expiavit, nunquam ex Catholico ritu carne abstinuit. Taceo alia memorata pudenda. Tandem detectus, biennio Romæ intra carceres hæsit, quo tempore ejus erroribus detegendis, confutandisque à præclarissimis Theologis defudatum. Postea publicè coram sacro senatu, Aulâque Romana, ac immensa populi frequentia errores suos recantavit; tantâ omnium execratione ejus doctrinæ capita & obscenitates auditæ sunt, ut repetitis populi vocibus ad flammâ posceretur. Summa errorum hæc fuit. Ut in elemento aëris, ita in anima hominis duas esse Regiones, superiorem & inferiorem, quas Theologi duos Appetitus vocant, Rationalem & sensitivum. Superiorem quod atinet, illic semper serenum & apricum esse oportere; hoc est Unionem cum DEO, ac perpetuum Contemplationis, amorisque solstitium, quale in Terrestri Paradiso fuit. At verò in animæ inferiori Regione turbidum, & tempestates gliscere, iras videlicet Concupiscentias, & reliquum passionum humanarum tumultum, neque has curandas esse sistendâsve; sed permittendas potius explendâsque, quippe naturæ innatas, nec magis culpæ obnoxias, quàm naturam ipsam, cujus illæ flores & fructus sint. Quis enim ægrè ferat uvæ ex vite nasci, glandes ex quercu, spinas vepræque ex rubo? atqui eandem rationem esse, cum voluptates ex carne leguntur, quippe æquè naturæ Corporeæ congenitas, ac glandes quercui, spinæ vepræque rubo. Imò coercendis voluptatibus illis  
frustra

frustra noxiæque laborem impendi: frustra, quia morari torrentem nemo potest, maximè cum plenus est, redundatque. Noxiæ verò, quia cum illis oblectamur, laboramusque sustinendis, unio interim quiesque cum DEO turbatur, quæ ut perennis sit & illæsa, pace potius cum sensibus, quam bello curandum. Ex generali hac doctrina ad particulares alias propositiones non impias tantum Molines, sed obscenas etiam dilabitur, dictu, audituque indignas, aded, ut cum illæ ex suggestu legerentur, meritò ignem, ignem, Populus inclamaverit. Eæ inter alias sunt: Oportere Potentias annihilari, & hanc esse viam internam. DEUM offendi, cum aliquis operari aliquid active conatur, cum DEUS velit solus in homine operari; oportere igitur, ut quis se totum DEO deserat, & postea instar mortui & cadaveris se habeat. DEUS vult in nobis operari sine nobis. Anima nihil agendo, & nihil operando ad DEUM redit. Via interna est illa, in qua nec lumen, nec amor, nec resignatio in DEUM cognoscitur. Imò oportet ne quidem ipsum DEUM cognosci, & tunc res bene habet. Anima nec de DEO, nec de Cælo, nec de inferno cogitare aliquid debet. Qui semel DEO voluntatem suam commisit, nihil amplius, nec Cælum nec Infernum curare debet, nec perfectionem aut sanctitatem, virtutesque, imò nec salutem propriam optare. Petere à DEO aliquid est imperfectio, sicut & gratias agere. Postquam DEO voluntatem tuam commisisti, non amplius curanda sunt tentationes, neque illis resistendum, nisi tantum negativè, nullaque adhibita diligentia: & si natura aliquid sentit, permittit, ut sentiat, quia natura est. Oportet, ut in Oratione solam fidem obscuram & universalem habeas, & stes coram DEO ad ipsum amandum, nullum tamen actum eliciendo, nihilque agendo, quia DEUS huiusmodi mercibus haud delectatur. Cogitationes quantumvis impura, & contra DEUM sanctosque, si voluntariè non foveantur, nec etiam positivè repellantur, sed patienter tolerentur, non tantum non impediunt Orationem, sed eam potius perfectissimam reddunt. Tedium rerum spiritualium bonum est, quia eo purgatur amor proprius. Hactenus Molines, qui alias propositiones adjungit in favorem mollitiæ, quam exemplis Sanctorum Jobi & Pauli sacrilegè promovere audet: nihil turpius, sed nec magis impium dictu audituque est. Taceo igitur, quæ, nec legi nec scribi possunt sine horrore. Has ergo sacrilegas, obscenasque hæreses Innocentius XI. extra Concilium damnavit, & Ecclesia mox pro damnatis habuit. Porro ex hac tam longa inductione, quæ ostensum est, quàm plurimas hæreses à folis Romanis Pontificibus damnatas esse, & Ecclesiam

hujusmodi damnationi necessariò acquievissè, adèd ut dubitari amplius non potuerit, teste etiam Gallicanà Ecclesià in litteris ad Innocentium X. constat, inquam, Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis infallibilem esse, omnisque erroris expertem, & quæ contra hanc sequelam objici possent, jam suprà refutavimus. Sic ergo etiam quartum signum Infallibilitatis Pontificiæ absolvimus.

X. *Quantum signum est, ex praxi Romanæ Ecclesiæ, cujus meminit Berno (a) Monachus S. Galli, & postea Abbas Augiensis lib. 2. de rebus ad missam spectantibus, qui habetur in Bibliotheca Patrum. Is refert, in Ecclesia Romana multos annos sub sacrum nunquam Symbolum cantari solum, præter morem omnium aliarum Ecclesiarum; roganti verò causam Henrico primo Imperatori, Benedictum VIII. respondisse: quia traditio erat, Romanam Ecclesiam in fide errare non posse. Sed Henricus Benedicto persuasit, ut more aliarum Ecclesiarum etiam Romæ Symbolum caneretur. Hæc Berno, qui ut ipse testatur, coram assistebat, audivitque responsum: Me, inquit, coram assistente audivi Pontificem hujusmodi responsum reddentem, videlicet, quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando ullà hærescos face infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholica fidei permaneret inconcussa; & idèd magis necessarium esse illos Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ullà hæresi potuerunt maculari. Vides in hoc celebri Antiquitatis monumento, quàm antiqua fuerit traditio de Romani Pontificis infallibilitate, videlicet à Christi nativitate, sive potiùs à tempore Apostolorum usque ad annum circiter 1014. quo credimus hoc colloquium inter Benedictum & Henricum contigisse, dum Romæ essent.*

*Dices, non hic asseri Romanorum Pontificum, sed Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem.*

*Resp. Si particularis Romanorum Ecclesia errare non potest, multò magis errare non possunt Romani Pontifices; promissiones enim Christi ad Petrum ejusque successores, non ad Ecclesiam, quæ Romæ est, referuntur; nèque enim Christus dixit, se fundaturum Ecclesiam suam supra Romanorum Ecclesiam, sed supra Petrum: nèque Christus pro Roma rogavit, ne ejus fides deficeret, sed pro Petro; cur ergo privilegium Petro adimis, quod Christus Petro dedit? & cur Romanæ Urbi confers, quod Christus Romæ non contulit?*

(a) Obijt Berno Anno 1049. si Trithemio fides est.